Papencovii Alberti: Quaestio theologica de relationibus divinarum personarum.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

D E

Relationibus Diuinarum Personarum,

Ex prima parte D. Thomæ Quæstione 28.

Sub Felicissimis Auspiciis,

Magnifici, Perillustris, & Admodum Reuerendi D.

D. STANISLAI IVRKOWSKI,

S. Theol. Doctoris, & Professoris, Protonotarii Aposto:lici, Præpositi S. Floriani, Opatouiensis, & S. Georgij in Arce Crac. Custodis, Vniuersitatis RECTORIS Vigilantissimi, & PROCANCELLARII longè Dignissimi.

I N

Alma Acad: Cracouiensi Iagieloniana,

A

M. ALBERTO PAPENCOVIO

Vstiense, S. Th. Doctore, & Professore, Protonotario Apostolico, Custode S. Floriani, Cancellario Lanciciensi, Curato Corcinensi, Contubernij Staryngieliani Prouisore.

P R O

Loco inter DD. S. Th. obtinendo publicè ad disputandum

P R O P O S I T A.

I N

Lectorio DD. Theologorum.

A. D. 1666. Mense Febr. Die 22. Hora. 14.

CRACOVIÆ, *Apud Viduam & Hæredes Francisci Cesarij, S. R. M. Typ.*

QVÆSTIO THEOLOGICA.

VTrum: Relationes in DEO realiter exiſtentes, cum Eſſentiâ Diuinâ, formaliter identificatæ, ac ſolùm virtualiter, ſeu per rationem ratiocinatam, ab eadem diſtinctæ, propriis carentes exiſtentiis, ſecundùm vtrumq; conceptum, tam Eſſe IN, quàm eſſe AD, dicant perfectionem, necne?

CONCLVSIO I.

In Diuinis, dantur quædam Relationes realiter exiſtentes.

COROLLARIA.

1. In Diuinis, inuenitur habitudo ex naturâ rei.
2. In Diuinis, tantùm eſt Oppoſitio Relatiua.
3. Relationes rationis, in Diuinis non dantur.
4. Relationes in Diuinis, etiam ratione ſuæ formalitatis, nempe A D, quatenùs ab Eſſentiâ Diuinâ virtualiter diſtinguuntur, ſunt reales.
5. Quamuis Relationes reales, ſint in Deo, non eſt concedendum, Deum Relatione reali, referri ad Creaturas, ſed ſolùm Relatione rationis.

CONCLVSIO II.

Relationes cum Eſſentiâ Diuinâ formaliter identificãtur.

COROLLARIA.

1. Eſſentia Diuina cum Perſonis, dicit maximam ſimplicitatem.
2. Diuinæ Relationes hoc habent peculiare, quod à fundamento, quòd eſt Actio, & Paſſio, ſeu Productio actiua, & paſſiua, non diſtinguantur realiter, licet Creatæ diſtinguantur.
3. Iure damnata eſt Opinio, quæ tenuit, Relationes in

Diuinis

Diuinis, esse assistentes, quasi extrinsecùs affixas, esseq́; realiter distinctas ab Essentiâ.

4. Diuinæ Personæ, per proprietates Relatiuas per se primò, constituuntur, & distinguuntur.

5. Conceptus Relationis Diuinæ; est conceptus abstrahentis à Relatione Increatâ.

CONCLVSIO III.

Relationes solùm virtualiter, seu per Rationem ratiocinatam, ab Essentiâ Diuinâ distinguuntur.

COROLLARIA.

1. Relationes, non sunt de conceptu essentiali Essentiæ, aut Naturæ Diuinæ.

2. Essentia tamen sumpta, sub conceptu cuiusdam transcendentis, est de conceptu essentiali cuiuscunque Relationis Diuinæ.

3. Relationes Diuinæ, formaliter ex naturâ rei, nequaquam distinguuntur ab Essentiâ Diuinâ.

4. Eædem Diuinæ Relationes, tanquam modi intrinseci, & essentiales, seu connaturales, pertinent, & sunt de intrinsecâ, ac formali ratione Essentiæ Diuinæ.

5. Distinctio Relationum, ab Essentia Dei, non inuenitur in ordine ad Intellectum Diuinum.

CONCLVSIO IV.

Asserimus; Relationibus Diuinis minimè competere existentias proprias, quibus inter se distinguantur.

COROLLARIA.

1. Esse Personale in Deo, non est, nisi per Esse Essentiale.

2. Existentia Diuina absoluta, est suprema, & vltima actualitas omnium, quæ sunt in Deo.

3. Relationes, sunt res actuales, sed non existentes propriâ existentiâ.

4. Relationes in Deo, realiter inter se distinctæ, sunt tantùm quatuor: Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Processio.

5. Relationes Diuinæ apprehenduntur per Analogiam, ad Relationes Creatas.

CONCLVSIO V.

Relationes Diuinæ secundùm vtrumq; conceptum, tam Esse IN, quàm secundùm Esse AD, dicunt perfectionem.

COROLLARIA.

1. Relationes Diuinæ præcisæ ab Essentiâ, secundùm conceptum explicitum, & expressum suum, includunt perfectionem.

2. Relationes Diuinæ, etiam vt præcisæ per rationem ab Essentiâ, important tamen implicitè perfectionem essentialem, & absolutam Essentiæ.

3. Essentia Diuina influit perfectionem Relationibus, perinde; ac Dignitas Personæ Christi influit valorem satisfactionis de rigore Iustitiæ.

4. Eædem Relationes in Deo, sicut exercent vnam Essentiam: ita exercent vnam perfectionem infinitam, secum compatientem diuersas rationes Rationis ratiocinatæ, virtualiter, & obiectiuè.

5. Perfectio, quam important Relationes, Relatiua nuncupatur.

Soli DEO Honor, & Gloria,
B. M. V. & DOCTORI Angelico.